



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Dictat schedium Rectori porrigendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

diendis Valetudinarius in lacrymas scilicet amplius liquecebat, sed sumptâ tandem fiducia, flagitans, uti Deum pro se in cælo oraret, extorsit promissum. Admonitus Ioannes tanto illo affectuum impetu vires fortè nimium fatigatum iri, rogatusque ut ijs aliquantum temperaret, At intelligas velim, mi frater, inquit, animum mihi colloquijs istis admodum refici ac subleuari. Moxque ei scribere iusso, hæc verba dictavit:

*Schedium
à Ioanne
dictatum.*

Veniam oro dulcissimum Patrem meum Generalem, doleoque extitisse me tam indignum Societate filium. Gratias insuper habeo dulcissimæ matri meæ Societati Iesu, ob maxima mihi indignissimo collata beneficia. Gratias ago P. Rectori, Præceptoribus meis P. Francisco Piccolomini, P. Tarquinio Galluzzi, P. Horatio Graffi, pro impenso in me tot laborum officio. Gratias do Patri Ministro Fratribusque valetudinis meæ curatoribus, pro insigni eorum erga me benevolentia. Gratias reddo omnibus qui exigui huius morbi tempore me inuiserunt. Velim calcitam humi sterni, dum sacrâ Synaxi reficiar: actum frequentes optem adesse Fratres meos recentiores collegas. Oro P. Rectorem, ut, cum ego nec cominus nec eminus quemquam complecti possim, vices meas imponat alteri, qui pro me Patres Fratresque meos
charif-

charissimos de more Societatis complectatur. Velim liceat mihi mori induto veste Societatis. Hoc schedium Rectori in manus dari rogauit; eoque perscripto, ad intermissos pietatis affectus redijt. Sextâ noctis horâ, Mercurij die imminente, Rectorem ad se vocari flagitauit. Is quàm mox adfuit; reperitque Ioannem animo in Deum defixo, accinctum itineri illi magno in cœlum. Diu cum illo Ioannes de rebus animi sui collocutus, exomologesim ei facere instituit: quæsitæque Rectoris sententiâ, an è re esset, vitæ, quam in Societate degerat, vniuersæ factâ narratione se expiare; cum non esse intellexisset, acquieuit. Ita nempe Rector iudicabat, cui exploratissima erat illius vitæ innocentia, quam Angelicâ puritate, seuerissimâ legum omnium obseruantia, vigilantissimâ sui custodiâ, perfectissimam planè consummarat.

Dum simul colloquuntur, ingressus Valentiniarius, dictatum mox schedium Rectori dat; quo lecto, annuit petitis, concessitque fieri quæcumque ex eius forent consolatione. Utque recentiores collegæ frequentes adessent, dum salutis Viatico Ioannes instrueretur, negotium cuidam dedit admonendi, quàm primùm è somno excitarentur, in Templum frequentes conuenirent, comitanda sanctissimæ Eucharistiæ. Ioannes interea

M rerum

rerum omnium faciendarum prouidus, curatorem suum rogauit, ut pedes sibi ablueret, admittendæ simul salutari vnctioni, quod mysterij huius religione fieri flagitabat. Octauâ noctis horâ, audito vigiliæ signo, obierunt cubicula circitores qui e somno excitarent, iuberentque frequentes adesse Ioanni Viaticum iam iam accepturo. Visum omnibus, accepto tam inexpectato nuntio, non vocem audire auribus, sed telum infigi pectoribus, vnoque ferè ore conclamarunt, Heu quantam facimus iacturam! ô qualem quam sanctum amittimus fratrem! Vtque in tempore adessent, Synaxim vltimam obituro, pro se quisque maximè accelerabat. Adiunxit se lateri Ioannis P. Cornelius à Lapide, sciscitatum quâ culpæ religione teneretur, quæ anxium eius animum haberet: magnâ ille mentis tranquillitate respondit, nullius omnino se conscientiæ fide commoueri. Strata in solo culcita fuit, tunicaque talaris dorso eius, ut cupiuerat, circumiecta. Accurrebant interea in valetudinarium quotquot adesse tempori potuère; qui viso Angelo illo in culcitâposito super pauimento, auditisque feruentissimis eius vocibus, quibus nunc I E S V M nunc M A R I A M appellabat, lacrymis præ animi teneritate non temperabant. Mediâ post octauam horâ Collegij Rector, multorum coronâ

*Communis
mæror su-
per morte
Ioannis.*